

B.I. 272¹

DES. ERASMI

ROT. RESPONSIO AD PETRI

Cursij defensionem, nullo aduer
fario bellacem.



FRO BEN.

BASILEAE IN OFFICINA FRO/
BENIANA ANNO
M D XXXV

SORNATISS> VIROIOAN
NI CHOLERO PRAEPOSITO
Curiensi Erasmus Roterod.

S. D.



E A quidem sententia erat Cholere candidorum amicorum candidissime, quicqud est istud Cursiani negotij prorsus silētio trāsmittere, adeo qub nullam parare respōsionem, ut defensionem illius nec lectione dignarer. Sed amicus quidam egregie cordatus, cuius iudicio plurimū tribuerre soleo, quiqub mecum libenter consentire solet, hic dissensit, ratus operæ preцium, ut seditionem criminacionem, qua me fngit totius Italici nominis hostē, saltem paucis diluerem. In ea sententia quum persisteret, ego magis illius obsequens animo, quam meum sequens iudicium, paginis aliquot carptim degustatis, deprehendi quid erraret Cursius, reicqub summā unica pagella complexus sum. Eam Romam ad amicos misi, ut apud eruditos me calumnia liberaret. Sed rem insperatā audio: magnis typis excusa est, & per omnes uiarum angulos celeberrima hominum frequentia affixa, quemadmodum ædicta pontificū solent affigi. Ea res male habet a 2 Cursi

4. DES. ERASMI ROT. RESPONSIO

Cursij animum, & atrocem uindictam minitari dicunt. Hoc utrum à beneuolis an maleuolis factū sit, nescio. Meo sanè iudicio nihil opus erat isti camino oleū adiūcere. Ut omittam quod dum Cursium exponunt ludibrio, me quoq; Romæ fabulā faciunt. Ludunt quidem isti, sed quemadmodū solent pueri ranas lapidibus impetentes. Ludunt pueri, sed ranæ ictæ seriò moriuntur. Nunc posteaquam video uulgatum, quod inter eruditos premi cupiebam, idem argumentum quod deliniam, paulo tractaui plenius, ac percurri uerius quam legi totam Petri Cursij apologiam, qua suis Italis & rei bellicæ, & totius eruditionis summam laudem reuindicat, per me ut putat, prorsus ademptam. Mihi quidem ex eo gusto, uisus est uir minime malus, οὐλόπαπεις, latini sermonis copia nō infeliciter affluens: Sed suspiror esse Romæ quosdam male feriatos, quibus non sat is est Pasquillicorū iocorū licentia, nisi nunc hos, nunc illos subornent, quorum simplicitate, aut si mauis bonitate, uel ad uindictam, uel ad delicias suas abutantur. Atqui hęc tam prolixa, tam atrox tragœdia ex una uocula nata est, eaçq; perperam intellecta. Rei summam paucis expediā. In proverbio Myconius caluus, ex Donati sententia indico Pamphilum in Hecyra Terentiana, Myconiū crispum dixisse, quum Apollodori græca habeat Myconium caluum, idçq; non inscitia Terentij fa-

en factum sed studio, quo sermo esset festiuor ac faces
 tior. Ridet enim ibi Pamphilus seruū curiosum & gat
 rum, quem alegat in portum, fictis mādatis ut con
 ueniat hospitem Myconiū, quam illuc nullus esset ho
 spes Myconius. Hic adhuc nihil est quod reprehendi
 possit, sed simile exemplū addo de meo, quod quidem
 inquam ipsum proverbum resipit de rarīs inuentu, ue
 luti si quis Scytham dicat eruditum, Italum bellacem.
 Hæ tres syllabæ bellacem, uniuersam belli laudem tot
 seculis, tot prælijs, tot monumētis terra mariç partam
 semel adimūt uniuersę Italię. Atqui ista cogitatio ne in
 somnis quidem unquā in mentē uenit, ut Italat uel pi
 lum in hoc genere laudis detraherem adderemūe. Sed
 homo barbarus mihi persuaseram bellacem uocari, nō
 esse virtutis, sed feritatis elogium. Siquidem pleracq
 huius generis uoces quaꝝ ueniunt à uerbis medijs, de
 clarant non actionem, sed uitiosum animi habitum: ue
 lut illa, edere, bibere, loqui, dicere, petere, pugnare, utro
 libet usurpantur uel in laudem uel in reprehensionem:
 at edax, bibax, loquax, dicax, petax, pugnax, non nisi
 uitij cognomina sunt, duntaxat quum de homine præ
 dicātur, in quem cadit uitutis ac uitij ratio. Nam spon
 giam esse bibacem, aut gallinaceos esse pugnaces, natu
 ræ sunt epitheta. Similiter & bellare ancipiti significati
 tu dicitur, Bellax autem nemo dicitur, nisi qui per inge
 nium

a ; nij fe

mij feritatem belli appetentior est q̄b oportet. Ita Thracēs appellamus bellaces, nō quòd hi præter ceteras nationes belli gerendi peritia præcellerent, sed quòd ob barbaricam immanitatem uitam haberent uilem, temereq; ad arma prouerent. Nisi forte Thracum fortitudinem laudauit Horatius quum ait,

Ociū, bello furiōsa Thrace. Aut quum ait,
 Natis in usum lāticię cyphis Pugnare Thracū est.
 His etiam immitiore ingenio sucre Scythæ, qui spretis omnibus disciplinis liberalibus, omne studium cōferebant ad arma, ferarū ritu in campis & plaustris uitam agentes. Eoq; Scytharum feritas multis etiam prouerbijis est celebrata. Videlicet quum orationem atrocem & inhumanaū appellat σκυθῶν ῥῆσιν, uitam agrestem σκυθῶν ἰερμίαν, sermonem inconditū σκυθικὸν ἀσμα. Eodem carbone notati sunt Cares, quos Homerus appellat βαρβαροφόνους, & Afri, (ra morem Quod genus hoc hominū, quæcū hunc tam barba permittit patria: hospitio prohibemur harenæ. Bella crient, primaq; uetant consistere terra. At qui istiusmodi nationes appellat bellaces, utrum uidetur eas magnifico fortitudinis titulo cohonestare, an uituperare potius ob barbaricā naturæ feritatem, Dextrè gerere bellum si uitare nō liceat, laudi ducitur, bellum appetere feritatis ac stoliditatis est. Dissipa inquit

quit propheta, gentes quæ bella uolunt. Italus erat qui censuit iniquam pacem & quo bello præfetendam. Imò nulli felicius obeunt belli munia, quam qui primū hoc agūt pro uiribus, ne ueniatur ad manus: id si nō queat obtineri, tum eò conferunt sua consilia, ut bellū quanta minima potest sanguinis effusione citò finiatur. Ad id inutilis est incōsulta temeritas, & sanguinis auida feritas. Iam si quis hic consulat grammaticorum ac dialeticorum filios, negabūt has uoces bellacem & imbellē inter se cōtrarias esse, quod proferre liceat, qui nec bellax sit nec imbellis, si modo imbellis significat belandi imperitum, aut bello inutilem. Veluti contator ille Fabius, nec bellax erat nec imbellis. Rursus proferre licet qui idem & bellax sit & imbellis. Tales erant agricolaे qui nuper tantos tumultus excitarunt in Germania: procurrebant in aciem, quasi uellent occidi. Sed inter se pugnant bellax & pacis amans siue pacificus; quemadmodum fortitudo & ignauia. Ad bellicæ uirtutis laudem non satis est animosum esse, & earum rerum quæ belli sunt egregie peritum: Alioqui debebatur hæc gloria Annibali & Alexandro Magno, quorum priorem detestatur Italia, alterum Seneca appellat furiosum iuuenem, uterque mea sententia iure optimo: Quem regnandi libido propellit ad inuadendum nihil commeritos, furiosus est non uir fortis. Fortitudo

a + enim

DES. ERASMI ROT. RESPONSO

enim cum iuirtute coniuncta est, à cuius cōmercio si dis
iungatur, fortitudo non erit. Verum de his aliās. Pote
ram in hac causa à principe peripateticorū asciscere pa
trocinium, qui negat esse necesse, ut sententiae ueritas re
quiratur in exemplis quæ docendi gratia proponun
tur, satis est per ea perspicuum fieri quod discitur. Ve
luti quum Aristoteles ita proponit. Omne a est b, o
mne b est g, ergo omne g est a. Falsum est quod di
citur, & tamē exemplum probatur. Item quum Dona
tus dicit, Virgilius doctissimus poetarum, uel optimus
plebis, non est necesse ut credamus Vergilium fuisse ui
rum plebis Romanæ optimum. Sed ut falsa sit senten
tia, tamen exemplū suo fungitur officio. Quod si exem
pli causa falsis utimur, multo magis licet abuti opinio
ne uulgari. Quales nunc sint Scythæ nobis incognitū
est, fortassis ea gens nunc est ignauissima luxuōꝝ perdi
cta, & tamen agrestia ac uiolenta uocamus Scythica, ni
mirum abutētes olim uulgato rumore. Sic apud quā
dam nationes Itali audiūt imbelles, falso an uere mea
non refert. Verum hæc extra causam dixerim, non
quòd ad hæc præsidia uelim confugere. Nihil enim op
pus, qui nec falsis sum usus in exemplo, nec uulgi rumo
ribus abusus, sed simpliciter quod sensi uerbis opinor
latinis expressi, Scythicam bellacitatem in Italīs raram
esse, Italorū eruditionem in Scythis esse raram. Ex his
arbitror

arbitror esse perspicuum, nō ignominiae sed laudis gratia Italo me bellacis titulu ademisse, q Scythes, Thraces & Cares dedecorat. Hic si obijciet Cursius, nomina quædam in ax desinentia ancipiti esse significatu, quod genus sunt perspicax & capax, fatebor esse quædam sed perpaucā. At horum de numero non arbitror esse quæ commemoraui. Bellacem laudis gratia neminem memini appellatum, præterquā apud Cursium. Sed largiamur hanc uocem alicubi apud bonos uiros, ac probatos autores inueniri uel ancipiti significatu, uel etiam laudis si libet: fatebitur tamē opinor frequentissimo usu sonare uitium. Me uero bellacis nomen in malam partem usurpasse satis arguit, quod Scythā cum Italo confero, hoc est, incultā, indoctam, feram ac barbarā gentem, cum natione minime barbara, sed philosophiæ, liberalium disciplinarum & eloquentiæ studio perpolita, quas artes constat nō belli sed pacis alumnas esse: significans interim eum absurde facturum, qui quod est Italorum transferret in Scythes, contrā, quod Scytharum transferret in Italos. Porro quū Scytham & Italum nomino, nō designo singulos, sed gentem in genere. Nā fieri potest ut inter Italos inueniantur quibus adsit Scythica feritas, & inter Scythes revertantur qui libertales calleat disciplinas, qualis olim fuit Anacharsis, sed utrūq; rarum fuerit, sicut apud Mycos

b nios

DE DSS: ERASMI ROT. RESPONSIO

nios ratur erat inueniri crispum. Nec video quo con-
filio Cursius hic admisceat Pœnum, fortassis ut obscu-
ret dissimiliū nationum collationem. Atqui Pœnus ex
tremo loco mihi ponitur, duobus exéplis ab Italo Scy-
thaꝝ diremptus. Quid igitur postulat Cursius, ut Ita-
lum pronunciemus ita bellacem quemadmodum Scy-
thaꝝ, Thraces & Cares dicuntur bellaces? An hoc illius
animo nō erit satis, sed exiget ut dicamus Italum omni-
bus illis barbaris nationibus bellaciorem? Tum uero
mihi uiderer Italiam insigni aspersisse ignominia, meri-
toꝝ in me prouocaret omniū militū gladios, omnium
eruditorum calamos. Res ipsa opinor iam dudum cla-
mitat, nihil hic esse quod quenquam Italum cordatum
possit offendere, & qui hanc scribendi materiam Cux-
io suggesserūt, eos ridendi quæsisse occasionem. Iam
mihi uide lector, Cursius ex una uocula quantos exci-
tet tumultus. Fingit me impotēti militū Italorum odio.
Flagrantē atq; etiam occæcatū, tam indigne totius Itali-
æ nationis bellis partam gloriam conspurcasse, ut pro-
ea vindicanda Itali omnes qui nō aquis pluvijs, ut ait,
sed uiuo orationis flumine exundant, dicendi facultate
contendere, qui bellicarū virtutum studio gloriaꝝ tra-
hūtur, gladijs, telis, equis, uelis depugnare digladiariꝝ
debeant. Et exclamat interim μάλα τραγουδῶς, Ὁ κοε-
λο, Ὁ mare, Ὡ terra, quod Italos milites, quorū in bel-
lo tam

Io tam excellens est uirtus (utar ipsius uerbis). ut huma
no captu nequaç, uix etiā ipso cœlo cōprehēdi queat,
imbelliæ ignauiaeç damnarim, & omnium nationum
uictores ipsi etiam Gamphasantibus omnium natio-
num ignauissimis iudicarim posthabendos: quum mi-
hi nec dux nec miles Italus unquam uenerit in mētem,
ac dira minatur, nisi mox Stesichorū imiter, canamç
palinodiam. Cæterum quum crispus ille caluus ante
tot annos uolitet per manus hominum, tamen fugerat
Petrum Cursium, & lateret etiamnū, nisi forte quidam
illi locū in Adagijs cōmonstrasset. Quod ubi factum,
substitit Cursius sic perturbatus, ut ipse dubitet, attoni-
tōne an irato fuerit similior: tantaç stomachi procella
cōcitata est, ut minimum absuerit quin diruptis omni-
bus modestiæ repagulis uelis remisç in me inueheret,
tur, nisi pro Pallade Marius impotenter efferuescentē,
ad hanc qua nunc usus est temperantiam reuocasset.
Quis obsecro credat ὡνταίνειν qui de nihilo tantos ex-
citat tumultus: Illud de suo addit, Credo, inquit, quod
quoniam in certam hanc ueneras opinionem, latinas li-
teras Italis iam penitus abs te esse præceptas, rei quo-
que militaris præstantiā à tuis iam Germanis Italo præ-
ceptam, posteritati insinuare es conatus. Quod quum
sit seditiosissime dictum, tamen absq; risu legere nō po-
tui. Nunquam mihi curæ fuit, utra natio bellicis laudiv-

b 2 bus an

bus anteiret. Vtinam Heluetia & Germania minus es-
set bellax quam antehac fuit. Quanquam ea iam studio-
rum commercio fit mitior. Quod ad eruditionem atti-
net, ego de Italorum ingenij semper & magnifice sen-
si & honorifice predicau, nec meas literulas unqz tan-
ti feci, ut uel Germanum quenquam praet me contem-
psierim, neqz quicquam fateor libentius quam omnia
mea esse infra mediocritatem, tantum abest ut existi-
mem literas latinas per me preceptas Italię. Iam tamet
si non est philosophicæ mentis, cuiquam nationi addi-
ctum aut auersum esse, quod nulla sit gens quæ nō ex
bonis malisqz permixta sit, tamen in nullam à teneris
annis animo propiore fui quam in Italiā. Eum af-
fectum non alia res in me genuit qz ingeniorum & eru-
ditionis admiratio, qua tum maxime florebat Italia,
quū apud nostrates ubiqz regnaret horrida barbaries,
& omnis literaturæ politioris odiū capitale. Magnoqz
studio frequenter molitus sum iter in Italiā. Primum
adolescē annos natus fermè septendecim. Rursus ex
Hollandia annos natus xx. Iterum è Lutecia natus an-
nos xxvij. sed semper quasi fatis ab instituto sum re-
pulsus. Tandem à Guilhelmo Montioio discipulo per
tractus in Angliam quum multæ offerrentur, nullam
conditionem recipere uolui priusqz uiderem Italiā,
idqz feci dissidentibus amicis omnibus, iam accedens
ad ani-

ad annum quadrageſum, mihiq; præter eximias re-
gionis dotes, tantopere placuit illius gentis simplicitas,
ſobrietas, ciuitas, candor & humanitas, ut Romæ sta-
tuerim figere ſedē, in eaq; uelut in cōmuni patria con-
ſenſcere: idq; adeò feciſſem, niſi promiſſis montibus
aureis in Angliam fuſſem retractus uerius q; reuoca-
tus. Interea quū apud Italos agerem, cum eruditis qui
ſupererant nō uulgaris mihi amicitia interceſſit, Bono-
niæ cum Paulo Bombaſio, cuius ingenio nihil unquā
ſum expertus candidius, Venetiæ cum Baptista Egna-
tio, Aldo Manutio, Hieronymo Aleadro, Urbano Re-
gio. Romæ cum Scipione Carteromacho, uero citta o-
mnem ostentationem undecunq; docto. Is frequenter
in cubiculum meum ſolet improuifus obrepere, & ali-
quot horas pomeridianas fabuſis literatis fallere. Ne-
que mensa tātum crebro mihi fuit cum illo communis,
• ſed aliquoties eodē lectulo dormiuimus. Idem adiun-
xit mihi Aegidium Viterbiensem, qui poſt aſtitus eſt
in ordinem Cardinaliū. Cum Petro Phædra cuius elo-
quentiam tum Roma pro Cicerone mirabatur, mihi
fuit propinqua familiaritas, cū Iulio Camillo me non/
nunquam eadem iunxit culcitra. Cum Francisco Sphœ-
rula & Philippo Beroaldo iuniore mihi fuit amicitia,
Breuiiter cum nullo uel mediocriter eruditio fuit unquā
ulla cōtentio. Nam heroes illi quorum ſcripta ſemper

b ; ueneratus

tineratus sum, iam è uiuis excesserat. Hermolaus Bar-
batus, Angelus Politianus, & his posterior Philippus
Beroaldus, cuius paulo ante defuncti Bononiæ spir-
bat adhuc memoria. Aegrè & inuitus reliqui Italiam.
Verum ubi reuersus essem in Angliam, & hinc in Bra-
bantiam, cum nulla natione mihi melius conuenit, ne-
que iucundior fuit consuetudo quam cum Italica, nec
de ulla candidius tum sensi, tum prædicaui. Possem id
compluribus exemplis docere, si res urgeat. Vnde igi-
tur nunc fingitur istud tercę quatercę cæcum Italici no-
minis odium? An quod lacepsitus Pij non pias calum-
nias depuli? nec honoris illius causa haereticus haberí
sustinuit? An quod in Ciceroniano taxo eos qui perpe-
ram & inepte Ciceronem imitantur? Eosdem palam ir-
ridet Quintilianus, & horum similes Horatius,

O imitatores seruum pecus.

Nemineim, ut ait Cursius, illic Italum probo. Imò
neminem illic nomino, cui non candide tribuam quod
illi debetur laudis, nonnullis etiam aliquid ultra meritum
admetior. Num improbantur omnes qui non ex-
acte referunt Tullianam Phrasim? Reſcientur igi-
tur M. Varro, Salustius, Seneca, Quintilianus, T. Liu-
us, Cornelius Tacitus, Val. Maximus, Aul. Gellius, ut
tercę Plinius, quorum oratio multum recedit à Tullie-
na. Quanquam ibi Sadoletum & Bembum patet di-
ci Ci

ciceronianos. Sed horū opinor nihil legit Cursius, tantum ex delatis contexuit Apologiam. Fingor Ciceronis hostis & osor implacabilis, cuius ingenium ac reconditam eruditionem magis admiror q̄z eloquentiā. Eloquentiam autem sic admiror, ut palam & ingenue & ex animo fatear, omnes qui per se sunt facudissimi, ad hunc collatos obmutescere. Sed aliquid ibi detrahitur laudibus Ciceronis. Quid mirum si Ciceronem habemus pro homine? Solus enim deus est, in quo nihil desideres. Quanquam ea referuntur, illic à priscis præ iudicata, idq̄ non mea sed aliena persona. Si nihil horum recipiunt, quid facient illi qui nuper dialogum edidit de Cicerone relegato & revocato? Quæ conuictia q̄z atrocibus uerbis illic referuntur in Cicerone ab homine Italo? Tot locis in meis lucubratioibus & epistolis laudatur Italia, atque his omnibus dissimulatis profertur uocula bellax. Obiecit & Pius odium Italique, quod citra nomēclaturam notassem quorundam eruditorum impietatem. An odit uniuersam Italiam, qui in certis Italies aliquid uirtutis desiderat? Quid igitur supereft, nisi ut omnium nationum hostis & perduellio iudiceret? Quod si postulat ut credamus in Italia nō nasci nisi deos, qd facient tot fabulis eorum qui domum reuersi narrant quid in Italia uiderint: Imo quid si quis referat, qd Itali uulgo iactent in Italos, in Lanuēses, in Bergomates, in Floren-

Florentinos. Denique quid Romae priuatim ac publice iactent in quosdam eruditos, idque nominatim, ne Cardinalibus quidem ac summo pontifici parcentes. At ego Germanus nunquam fui tam futilis, ut uulgi fabulas litteris cōmitterem. Verum ut hæc obiter incidentia misera faciamus, ad Cursianam Apologiam redeo. Quo uideatur iustis de causis huc adductus, ut tam indignam, tam iniustum ignominiae notam Italiam iniustum aboleret, profert, se suosque auos, at auos in Italia procreat. sed has causas habet cum multis Italoru*m* milibus communis. Quanquā interim periculum est, ne dum auos, proauos, at auos tritauosque cōmemorat, Gotthos laudet pro Italio. Siquidem cum essem Romæ, quidam erudit*i* serio fatebantur, heroicis illos uiros Gotthorum aliarumque barbararum nationum esse progeniem, pusillos quosdam, deformes ac macilentes esse ueras Romanæ stirpis reliquias. Nec illud dissimulabant, plerosque Italæ nobiles generis originem ad barbaras nationes referre. Cæteru*m* hoc utcunque habet, quando tantum audita narro, licet ab Italio, iustiore titulo Cursius suum commendasset officium, si non modò cōmemorasset quod in Italia natus sit, uerum etiam quod illic in Christo renatus omnes satanæ pompas abiurarit, datum & per sacerdotij dignitatē Christo factus sit confunctor. At in illis quæ illic abiuramus, asciti in Christi imperatoris

imperatoris militiam , opinor esse & illas æternas belli glorias , ouationes ac triumphos , è deuictis hostibus reportatas . Christiano sacerdoti mea quidem sententia magis conuenit , ad bella exhortari quæ sub Christi uexillis spiritus sancti copijs geruntur cum uitij , & in hoc eloquentiæ nerois omnes intendere , ut Christi maiestas per uniuersum orbem inclarescat , & huius uirtus intimis sensibus omnium commendetur . Nunc in hoc tam prolixo sermone quum bellatorum laudes ultra nubes attollantur , totiesq; legamus , dijs homini busq; inuitis , multisq; in deos atq; homines impie nefarieq; cõmis̄is , & ab Italia nationes omnes deorum cultu superatas . Et , caue per deos obsecro , nusquam tam nominatur Christus , quum multis uerbis desto- machetur in Aquilonem Christianæ religionis uiolatorem . Nō id criminis loco cõmemoro . Existimo Curiū hominem esse piūm , sed studio & usu nitide loquendi Christum illi non uenisse in mentem . Quin & alios audio esse qui quū se sacerdotes atq; adeo theologos profiteantur , iustis uoluminibus commendent bellum , non laicis tantum , sed episcopis quoq; & monachis . Id præter q; quod est parum decorum , nihilopus est nostris hortatibus ad bellandi studiū . Non defunt improbissimi extimulatores . Qui nā inquis ? Ambitio & regnādi cupido , auaritia , ira , superbia , stultitia ,

teme

temeritas, ut nihil opus sit sacerdotes ac theologos carceris classicum. Fortasse uetus exemplum reuocabitur,
 Deuter. 20 ut posthac iuxta Mosi præceptum, sacerdos militibus
 prælium inituris sit loco tubæ: Nolite timere, nolite cœ-
 dere. At mea sententia Christianum sacerdotem magis
 decet à bellis deterrere, & laicos ad arma spectantes in
 cōcordiam redigere. Et haud scio an sibi persuaserint
 esse Ecclesiastica dignitate reuerendos, qui malint esse
 belli duces quām id quod esse deberent, sc̄q̄ decentius
 galea quām mitra credat ornari. Quandoquidem hic
 libellus uisus est dignus qui & Romæ excuderetur, &
 Paulo tertio P.M. dedicaretur. Quāquam id à quibus
 dam studio persuasum arbitror, ut hominis simplicitas
 tem magis etiam traducerent. Sed his fundamentis fe-
 liciter iactis rem aggreditur, ingentem fortissimorū mi-
 litum ac ducum turmam mihi proferens. Egregium ue-
 ro campū nactus est, in quo decurrat Cursius, si mihi
 referre perget quicquid facinorū uel ante, uel post Vr-
 bem conditam ad hanc usq̄ ætatem gestum est ab Ita-
 lis, siue in monomachijs, siue in bellis terrestribus ac na-
 ualibus, siue in bellis intestinis, siue in bellis aduersus ex-
 teras nationes. At uir æquus, Curijs, Fabijs, Scipioniv-
 bus alijsc̄p̄ nimirum priscis non uult grauare me. Recen-
 tioribus nostraq̄ memoria gestis uti mauult, in quibus
 tamen multa sunt quæ multo post æditū calui prouer-
 bium

bium gesta sunt, quum interim me appellat, an ideo putarim Italiam imbelliæ damnandam, quod Roma sit per Borbonium occupata. Similiter in singulis ferè narrationibus me quasi conscientum appellat. At ego ut sim, pliciter quod res est fatear, quemadmodum è ducum nominibus uix duo aut tria agnosco, ita gestorū nunquam fui curiosus, nec ad ullas fabulas minus attentus esse soleo, toties expertus quam multa sint belli inania, ut uix unquam audierim duos qui eidem prælio interfuerant in narratione cōsentientes. De fide scriptorum alij uiderint. Quum Aluianus à Venetis cōductus trucidasset Germanos, qui pauci numero per inuia alpiū irruperant in Italiam, eram Venetiæ. Ipsum Aluianum non uidi, quanquam inuitatus sum ab eo ad cœnā. At qui si referam quæ mihi de rebus ibi gestis narrarunt, nō Germani sed Itali, nec quilibet Itali, sed quibus erat cum Aluiano familiaritas, mihiç ceu Germanio eam uictoriā exprobabant, quum id temporis nondum pedē in ea Germania posuisse, tum quæ in nauigij audiui ab Italib[us] militibus, qui ei prælio interfuerant, res multū abesset ab ea specie quā nobis uerbis exaggeravit Cursius. Verū id mea nihil refert, per me quidē milites Italij omnes ac duces, Achilles aut Diomedes sunt. Quod gessit ducis Lothoringiæ frater aduersus rusticorum manū è propinquō audiūimus, de Italorum

c 2 manu

manu nihil accepimus. Et ea res longe secus habet q̄ ad Cursium delata est. Ait triginta milia fuisse trucidata. Vix erant decem milia. Nec agebat de religione Christiana, sed agricolæ cupiētes herile iugum excutere, ducibus aliquot latronibus mouerunt eos tumultus. Itaq uereor ne Cursius in cæteris quoq̄ commemorādis simili fide sit usus. Porrò quoniam illic Aluiani nomen aliquot paginas explet, credas laudari non mercenariū ducem, sed Camillum quempiam aut Scipionem, qui pro tuenda patria semet omnibus periculis obiecerit. Subolet mihi in cuius gratiam hoc argumentum suscepit Cursius. Nihil igitur superest, nisi ut Aluianū inter bellaces deos relatum hoc carmine consalutemus,

Aluiane dīj beent. Te qui beasti Oenotriam.

Verū hæc mihi prorsus extra causam dicuntur, quando mea nihil refert quantum quisq; laudis putet in belli peritia militibus Italib; tribuēdum. Quia uoces uulgo de Italorum fortitudine uolitēt, me nihil unquam mouerunt, nec super hac re cum quoquā unquam tria uerba cōmutauī. Cursius mauult Italum bellacem quām disertum, ego malim omnes esse pacificos, Scytharūq; ac Thracum dissimiles. Mihi probri uice obīicit, quod Phormioni sim q̄ Annibali similior. Quasi pulchritus ducat, impio, perfido & sanguinario latroni similem esse, quām philosopho. Octauium Augustum non infi-

fior multa præclare gesisse in armis, bellacem tamen fuisse non uerear inficiari. In huius imperio quod diu turnū tenuit nihil accidit illi speciosius, quam quod sub eo Ianī templum aliquot annis Romani clausum uide runt. Inter laudatissimos imperatores numeratur Probus, & tamen is pollicebatur se effecturum, ut Roma no imperio nullus esset exercitus. Papè, quantum hu- ius viri ingenium aberat à titulo bellacis. Rogat ad quam etatem spectarit meum prouerbium. Palam est quod ad illam qua iam Italia Græcorum disciplinis erat exculta. Nam antea multum rusticatis ac feritatis erat apud Italos, uel Horatio teste,

Græcia capta ferum uictorem cepit, & artes

Edocuit. Olim enim apud Romanos summa laus erat, dici bonum virum & bonum agricolā. Nec accessio disciplinarum ademit illis bellandi peritiam, sed auxit potius, quando ut ipse fatebitur Cursius, prudentia consilijs animicis præsentia ueræ fortitudinis laus ac bellivæ disciplinæ gloria comparatur, non uitæ prodigalitate, non ferina illa rabie, quam barbari pro uirtute habent. Atqui eam ferinam rabiem ego bellacitatem appello, & ab Italib[us] in Scythes trāsfero, hoc est totius hi- ius cōtrouersiæ caput, atqui hoc ipsum minus est cōtra nihil. Quale uero est circa rem friuolam tantū uerborum effundere, tam atroces exaggerationes excitare, tam di-

cōtra mi-

ra minari,tot conuitijs impetere? Quid est, si hoc non
est ex musca facere elephantē? Nō est copia Tulliana
in cassū uerba fundere , nō est rhetorica argumētatio,
pro argumētis adducere sigmēta,nō est uera *διώτης*,
in nugis excitare tragœdiā, & quod nusquam est, id
uerborum prēstigijs in immensū attollere. Pollicitus
fuerat se nullo cōuictio me perstricturū,quām toties cre-
pet tēterimū mendacium, inanissimi impudētissimiq;
mēdaciij illusionē,quod eō usq; exaggerat, ut futurū ar-
bitretur ut ipsa rerum natura , aut deus aliquo terribili
ostento ulciscatur, q; Italo non tribuerim Scythicā bel-
lātitā: nullū enim aliud argumentū hactenus produ-
xit. Atqui huiusmodi tumultus propius accedit ad Aia-
cis imaginē q; ad Ciceronis. Ajax quū s̄euiret & uerbis
& uerberibus in pōrcos , tamē si non lēdebat eos qui-
bus indignabat, tamē in animalia s̄euiebat, quē pro fle-
tu grunnitū ēdebat. Cursius adeò s̄ætit in id qd nusq;
est. Solent tyrones ad palū exerceri, sed Cursius uetera-
nus est. Ridēte qui cum umbris dimicāt. At hic ne um-
bra quidē est eius rei quā singit Cursius . Nam umbra
licet corpus non sit, refert tamen aliqua corporis linea-
menta. At Scythica bellātitā nihil habet simile cum
fortitudine bellica , quam Italī vindicat Cursius , ego
nō adimo. Paulus apostolus à pugilum certamine du-
cit similitudinē, quē proprius id repræsentat quod senti-
mus

mus. οὐ τυχεῖτε inquit, quasi aerē uerberans. Huiusmodi spectaculū rīsimus in palatio Iulij Secundi, quō ad taurea ab amicis quibusdam eram pertractus. Nam ipse nunquam cruentis illis ludis ac uetus tā paganatis reliqujs sum delectatus. Ibi quidem interuallis quę inter taurum occisum & alterum in certamē producendum intercedebant, personatus profligunt in medium, si nistram manum habens toga obuolutam, dextra gladium gestans, omnesq; gestus imitabatur qui solent esse taurum aggredientium: sensim accedens insidiabatur lateri, mox uelut à tauro uisus refugiebat. Interdum uelut pertinacius insequente tāuro togam abiecit. nam ea res solet taurorum impetum remorari. rursus quasi digresso tauro, ad togam recipiendam timide accedebat. Nonnunquam & gladius illi quasi metu excidebat. Interim sub apsidem lapideā quæ est in areæ medio sese abiiciebat, quod solet extremū esse refugium taurō pertinacius urgente. Tandem taurū aliquem exanimem transiliebat, equo insidens, quasi uicto insultās. Huius hominis facetia uehemētius me capiebat quām cetera quę illic gerebant̄ omnia. Ab hac imagine mihi nō multū abesse uidetur Cursius. Omni machinarū generē adorit̄, Italici nominis osorē, totius Italicæ gloriæ prædonē, qui uniuersæ Italicæ ademit arma, qui cūctos Italos eruditos præ se scēnum putat. In hunc profertur Deus.

tur Demosthenis acrimonia, Ciceronis copia, ad hunc opprimendum quicquid unqz strenuorum militum aur*fortiū* ducum habuit aut habet Italia prouocate, omniu um eruditorum stili acuuntur. Sed interim is quem finit Cursius, & in quem tatus tumultus excitate, osor & prædo nusqz est. Nusqz est ille Batauus, qui in prouerbio calui, bellicā laudem adimere tentauit Italiæ, quiqz ueluti classicum, quo efferas barbarasqz nationes ad Italiam uastationē excitaret, cecinerit. Quid his dici potest atrocius, atqui si uerba ad rem conferas, nōnne subitò tota tragœdia uertitur in risum. Verum quod ad bellī laudem attinet, occasionem qualemcunqz dedit bella*cis* nomen perperā intellectū, aut si malint à me per imperitiam latini sermonis secus qz oportet usurpatū. At qua fronte sumit ueluti nouæ inuectium argumentum, quod uniuersis Italij omnem eruditionis & eloquentiæ gloriā mihi vindicem, tanta insolentia, ut meis lucubrationibus tumidus, doctos Italiæ ad unū omnes pro fœno coenoz ducam, qui cōstanter tot testimonij etiam publicatis, in literis primas tribuā Italiæ. Mea uero uel cum Megarensibz nullo in numero ponī æquissimo animo feram, quibus adeò nō turgesco, ut interdū admirer ullis placere. Quid nī fatear infantiā meā, qui nihil nō abortum projcam, nec unqz à mea desidia impetrare potuerim, ut uel epistolā eandem bis describerē.

Quod

Quod si facerem, si non melius, certe aliquanto minus male scriberem opinor. Hic obiect quispiā, si tua tibi displicent, cur effundis tot uolumina? Dicā paucis. Me adolescentē in nostrate Germania, regnabat impune crassa barbaries, literas Græcas attigisse hæresis erat. Itaq; pro mea quantulacūq; portione conatus sum iuuentutem ab inscitiæ cœno ad puriora studia excitare. Necq; enim illa scripsi Italīs, sed Hollādis, Brabantis ac Flandris. Nec omnino male successit conatus meus. Ut autem bonæ literæ seruirēt pietati, scripsi Enchiridion militis Christiani. Adagia locupletauit, quod primæ aëditionis pudēret nūmīum ieiunæ. E Luciano uerti dailogos aliquot, ex Euripide tragedias duas, nō ob aliud nisi ut quoniam deerat præceptoris copia, ipse memet in Græco sermone exercerem. Siquidem in hac parte literarum prorsus fui ἀρπλίδακτος. Præterea nihil ferè scripsi nisi precibus amicorum adactus. Nam ipse malueram alienis legēdis animū pascere. Certe hic animus longissimè abest ab ea insolentia, ut non dicam omnes, sed quenquā omnino Italum, Gallum aut Germanum, præ me sœnum esse putem. Itaq; quemadmodum dūm ducum Italorum catalogum citra omniem inuidiam legi, ita eruditorum quos nominatim plurimos recenset, catalogum magna cum animi uoluptate legi, è quibus agnosco nonnullos, quibusdā etiā amicis utor.

d Nec

Nec dubito quin multo plures habeat Italia q̄z Cursij recensio. Nec est quod mihi minitetur eos aliquando plura ædituros q̄z à me sunt ædita, & fortasse digniora (sic enim ille loquitur) siquidem ea res mihi hoc erit iucundior, quo maiore luce meam mediocritatē obscurarint. Si ista Cursius ad me scribit, rem officiosam facit: si aduersum me, rem absurdā facit. Ducū gloria ad me nihil pertinet. Eruditōrū memoria perq̄ est iucunda. Quare nihil est causæ, cur Cursius toties me obsecret, ut ponam odium Italicæ nationis, qui nullius omnino gentis odio teneat, in Italicam quām in ullam aliā propensior. Ut ponam eruditōrū Italicæ contemptum, qui nemini me cōfero, nēdum antepono, & his quoq̄ eruditōnis eloquentiæq̄ laudem tribuens, qui me plusq̄ hostiliter impetierūt impetuntq̄. Ne id quidem decoratis inuideo Italicæ, quod illi nationum omnium dominici non solum uniuersus orbis debeat plurimum, uerum etiam quod illi, ut scribit Cursius, ipsum quoq̄ cœlum debet, debet inquā cœlum ipsum. Quo nomine? Quod deorū cultu omnes exteras nationes superauit, quodq̄ suis quāplurimis ciuibus in cœlum relatis, cœlitum numerū adauxit, cœlū ipsum reddidit augustius, effecit uenerabilius. Nō enim arbitror illum de Romulo sentire, sed de diuis quos pótifices in numero sanctorum habendos censuerūt. Itaq̄ dū seriō iubeor odium Italicæ

Italiæ ponere, sermonem audire uideor, non minus absurdum q̄ si iuberer alas & cornua ponere. At quod toties mihi approbrat, quod in Italia didicerim latinas litteras, atq̄ eadem magistra nitorem aliquem sermonis adiecerim, doleo nō esse uerum. Ego ut ante dicere coepi, peram, iam ferè quadragenarius Italiam adiij, non discendi, iam enim serū erat, sed uidendi gratia. Et utriusq; litteraturæ plus habebam ingrediens Italiā quā exculi, quanquam id omne fateor esse perquam exiguum. Sed quantulumcunq; hoc erat libris editis declararam priusq; Italiz limites attingerē, Luteciae æditis adagijs, aliqt Luciani dialogis, & duabus Euripidis tragœdijs. Quanq; de tragœdijs sparserū rumorē uanissimū, eas esse Rodolphi agricole, quē mecum satenſ uirū fuisse dō. Etissimū, meq; suffuratu exēplar p meis edidisse. Quid malitiosus? Quū id téporis de Rodolphi bibliotheca ne somniarim quidē, ac tam multi supsint etiā quibus testibus hoc negociū peregi, ne id quidē iusta cura, sed horis ferè pomeridianis inambulās dū prāderēt famuli, interdū in lecto dum alterū expecto somnū. Nec semel ubi successit, uno impetu centū uersus absolui. Si dicat parū feliciter uersas, nō admodū refragabor, sed in illis nulla syllaba est alterius q̄ mea. Nec ullius interpretatione, nec ullis cōmētarījs sum adiutus. q̄ si eas censem Rodolpho dignas, magnificētius de me sentiūt q̄ ipse d 2 sentio. Sed

Sed illic nihil est Rodolphi. Alioqui qui fauent Rodolpho, & omnes illius schedas colligunt, an tam impudens furtum ferrent taciti? At quæ tandem est illa prudentia, qd hic aut ille dixit in literas mittere: qualia multa prodidit ille Carporum princeps, vir eloquens minister meçz indoctus: qui persuasus ab æmulis scripsit Aldū fuisse herū meum ac magistrū, quum ipse Aldus quendam egregie doctū qui id tēporis unā mecum in h̄sdem ædibus agebat, sic mecum contulerit, ut diceret illum melius scire græce, me melius latine. Tantū abest ut Aldus me latine docuerit. Hæc nō iactandi gratia, sed dolens referto. Vtinam ea fuisset mea felicitas, ut totam erudit̄ionem Italiæ possim acceptā ferre. Qui legunt æmulorum calumnias, par. effet & meas apoloalias legere. Obijcit mihi Cursius quod D. Paulū phanaticū, D. Ioan- nem meros crepare mundos literis prodiderim, aliaçz ut ait, dicitu cogitatuçz tam turpia, ut ea mihi pius ac ue recundus inimicus exprobrare erubuisse. Et hic exclamat in implū religionis illusore. Sed quid faciet Cursius si respondeā istarum rerū nihil in meis lucubratio- nibus inueniri. An mihi obijciet Luteri epistolam adeò nō sobriā, ut nec ijs placeat qui Lutero sunt iuratisimi. Sed utide nunc tanta apud illū Luteri autoritas, quem in eodem libello tot cōuictijs proscindit? Si quis hoc ad illū retulit, nō erat Cursianæ grauitatis illico credere: sin legit

legit Luteri criminationē, debuerat & meam legere defensionem. Quod si fecisset, nihil erat opus ista severa admonitiōe. At si induxit animū credere quicquid scribit Luterus, eadem opera credit illa quæ scripsit in Romanos pontifices & Cardinales. An in me unum ueridicus est? Existimo iamdudū ipsis etiam Cursio exceptam opinionē quam illi quidā infixerant, nec ipsis nec mihi bene cupiētes. Siquidem mihi persuasi Cursium esse uitrum bonum, ac sedulō quod agit agere. Proinde lubens illū admonuerim, ne se posthac tam facile permittat instigatoribus, sed suā ipsius Palladem in consilium asciscat. Si ducit amore patriæ, laudet illā citra cuiusquam iniuriā, citracq; seditiosas cōparationes. Nihil enim erat hic causæ cur barbaras, ut ille uocat, ac feras natiōes attingeret, & Germaniā cum Italia cōmitteret, quū in mēo prouerbio nulla sit Germaniæ mētio. Laudet prudēter ac moderate, ne plus illi cōciliet inuidiæ q̄ gloriæ. Laudauit Virgilius Italiam, laudauit Plinius maior iam omni decorū genere florentem. Eam tamē longe moderatius laudarunt q̄z Cursius. Porro lusisse eos qui Cursiū in hoc prosceniuū protruserunt, præter alia multa & illud satis arguit, quod in carmine p̄fixo hēc habet sententia. Etiam si Germana pubes totū cibibat Rhenū, nihilominus tamen statū Italiam decus: quod utrū seditionisius an stultius dictū sit nescias. Asscribunt

d. 3 eidem

eidem fulmen. Addiderūt mulierē insidentem septem
 collibus, mundū manum tenentē, Erasmus deiectū in-
 sterquilinū: nec desunt insignia pontificis, cui persuaser-
 sunt opus esse dicandū. Præclare uero de summo pon-
 tifice sentiunt, si putant illum talibus libellis delectari.
 At audio pontificem simul ut sensit excudi, iussisse pre-
 mi, qua occasione proruperit nescio. Addiderunt aliud
 lulus genus. Finixerunt prolixā epistolā uelut à me scri-
 ptam ad Petrum Cursiū, plenam scurrilibus ineptijs:
 eamq; multis exemplaribus per urbem sparserūt, affin-
 gentes id ita me fieri iussisse. Imitati sunt manū meam,
 atq; etiam phrasim. In ea faciunt Erasmū hoc supplici-
 ter agētem cum Cursio, ut premat suam Apologiam,
 me proxima æditione castigaturū ea quibus offendie.
 Sensit Cursius fucum, sed in hoc errat, quod existimat
 eam epistolā à Caluo quodam amico confictā in rem
 meam, quū ipsa res loquatur ab inimicis confictam, &
 ni fallor ab h̄sdem qui Cursium ad hoc argumentū ex-
 citarūt. Festiuus uero lulus effingere manū alienam, &
 alieno nomine quicq; d̄ libet in vulgus spargere. Exem-
 plurū Romana grauitate dignū. Id quoniam bellū ui-
 detur, quidā in Italia sunt imitati. Atqui quod isti pro-
 lusu habent, olim erat crimen falsi, & famosus libellus,
 Cæsarumq; legibus puniebat'. Et tamen ista fiunt sub
 oculis summi p̄tificis & Cardinalium, qui si cohibeat,
 clament

clament Vrbem nō esse liberam. Nec me fugit quis sit princeps istarū intemperiarū choragus. Quod ni ue, rerer offendre Christum, quem unū unice propitium habere cupio, breui hinc migraturus, depingeret suis coloribus. Egregiū uero strategema, & Italico dignum ingenio, si quis ipse sui magnificū scribat encomiū, idqz alterius titulo euulget. Ruris rabiosos scribere libellos in eos quibus male uelis, eosqz subornatis nominibus ædere. Quod exemplū si Germani uicissim imitentur, an nō res exiret in seditiosam rabiē. Nec em̄ desunt qui possent atqz etiā uellēt. Sed ego meos semp ab his intēperijs deterrui. Non hic est musarū ludus, sed furiarū tumultus, indignus non dicā Christianis sacerdotibus, sed ethnicis etiam studiorum cultoribus. Finem faciam mi Cholere. Vix enim credas quām mihi uideor hoc opellæ male collocasse. Qualecunque tamen est, uolui tuam subire censuram, ut tuo arbitratu uel ædatur uel prematur. Quemadmodū enim uix àlium habeo qui me syncerius amet, qui patrocinetur ardētius, qui consulat fidelius, ita multis experimētis exploratum habeo, mihi feliciter cedere, quicquid tuis geritur auspicijs.

F I N I S

BASILEAE IN OFFICINA FROBENIANA
per Hieronymum Frobeniū & Nicolaum
Episcopium anno M D XXXV

